

*Stapa panis*, *Cerot. de Tacamah.* *Scutum Stomach.* *Mynf. Hartmanni*; *Cera* item *catbolica* *Burrhi*, quæ singula stomacho applicata in omnibus ejus affectibus haud contemnendi usus existunt.

THES. LIII.

His denique manum porrigit *Dieta*, quæ, si in ullo alio, certè hoc nostro morbo, strictior est servanda, curationisque spem promittit non ultimam, & consistit in legitimo sex rerum nonnaturalium usu. *Aër* itaque sit temperatus in calore & frigore: De hoc namque refert *Zacut. Lusit.* quòd hyberno tempore per nives iter faciens, ex isto frigore non semel in anorexiam (individuam imbecillitatis ventriculi comitem) miser impegerit. Ita etiam improvida abdominis denudatio atque refrigeratio singultum, diarrhoeam &c. non raro producit. In aère verò excessivè calido, cum per transpirationem & sudores seri æquè ac spirituum non leve fiat dispendium, coctionem insigniter debilitari in propatulo est.

THES. LIV.

Quoad *victus* rationem, abstinentia ac in usu alimentorum temperantia maximè commendari debet: Nihil enim ægris talibus magis confert, quàm *inedia*, quâ cruditatibus in stomacho congestis digerendis locus conceditur. Sin verò hæc methodus illis minùs arrideat, utantur saltem victu tenuiore, & alimentis, quæ facilioris coctionis sunt. Vitandi igitur *cibi nimis solidi & duriores*, pingves, fermentationi ac putredini obnoxii, potissimum qui nauseabundi, & à quibus æger abhorret, siquidem appetitus assumendorum quasi index est, & quæ cum delectatione assumuntur, faciliùs etiam ut plurimum digeruntur.

THES. LV.

*Potus* conveniens existit vinum *generosum*; abstinentium